

1751
14

DISSERTATIO IVRIDICA
IN QVA AGITVR
DE QVAESTIONE
AN IVS ROMANVM
IVS POSITIVVM CIVILE
IN SPECIE
IN GERMANIA ESSE POSSIT

QVAM
PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO
IOANNE HARTWICH REVTERO
PROFESSORE IVRIS PYBLICO ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE
DIE IAN. MDCLLI.
PYBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS
VICTOR TOBIAS ERNST
MAGDEBURGENS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL. (3)

L. 2.

A N T I S R O M A N U M
I U S P O S I T I V U M C I A R E
I N G E R M A N I A E S T R A T

О Р Я Д Е Й Н О В И Т Е Л І

В А С Т В О В А Н И Й С Т Р А Т І В А Н Й

С Т А Н Д А Р Т О В А Н Й С Т Р А Т І В А Н Й

У Г Е В А Н Й С Т Р А Т І В А Н Й

С Т Р А Т І В А Н Й С Т Р А Т І В А Н Й



§. I.

L ex moralis est regula actionum moralium.

Lex moralis, vel obligationem naturalem secum coniunctam habet, et est lex naturalis, vel positivam, quae per voluntatem cuiusdam determinatur, et est lex positiva. Lex positiva, vel obligationem diuinam habet, vel humanam. Si prius dicitur lex diuina; si posterius, humana, seu positiva in specie.

S C H. I. Doctores I. N. et G. etiam de legibus mixtis loquuntur, quae partim obligationem positivam, partim naturalem habent, sed to-

◊ ◊

ra res ita se habet. Obligatione, vel ad motiva respicimus, vel ad principium cognoscendi. Si prius, obligatio materialiter; si posterius, formaliter consideratur. Obligatio diuina et naturalis quoad ipsa motiva, seu materialiter est vna eademque obligatio, sed, si mixta esse debet, quoad principium cognoscendi, seu formaliter sumenda est, quia naturalis obligatio ex ipsa natura, diuina vero, ob defectum cognitionis humanae, ex revelatione cognoscitur (per princip. I. N.). Obligatio humana autem et materialiter et formaliter considerata mixta esse potest, quia tam quoad motiva, quam etiam ratione principii cognoscendi a naturali differente potest (per princip. I. N.). Leges diuinæ ergo formaliter tantum, leges humanae autem, tam formaliter, quam materialiter mixtae seu qualificatae esse possunt.

s e h. II. Significatus termini legis vagus est, sumitur enim sensu octuplici. Regula est iudicium, secundum quod varia determinantur. Varia haec, vel sunt actiones, vel non. Si prius, dicitur lex significatu I. (huc pertinent leges motus). Actiones haec, vel sunt spontaneae, vel non. Priori in casu est lex significatu II. et est vel moralis, vel non. Si illud nomine legis venit significatu III. Sed haec, vel a superiore praescripta est, vel non. Si prius lex audit significatu III. et quidem, vel ab imperante ciuili, vel non. Priori in casu lex dicitur significatu V. Si ab imperante ciuili praescripta est, vel personae individuali, vel non, si posterius lex vocatur significatu VI. et si hoc, vel expresse promulgata est, vel non, priori in casu lex est significatu VII. Si expresse promulgata

gata est, vel ab universo populo Romano in comitiis, vel non.
Si illud lex audit significatu VIII.

S C H. III. Grotius definit legem moralem, quod sit regula, cui actiones attemperare quis moraliter scilicet obligatur, quae definitio conuenit cum definitione §. 1. adducta, et ex illa sic deduci potest. Lex est 1) regula (per. §. 1.) et sic genus definitionis meae, quod sit regula, cum definitione Grotii idem est. Sed 2) actionum moralium. Actiones morales nituntur libertate, libertas adpetitu et auersatione rationali, adpetitus autem et auersatio rationalis distincta representatione boni vel mali, quae dat motuum, et sic nituntur motuus actionibus connexis (per princip. I. N.). Nexus motuorum cum actionibus sistit obligationem moralem (per princip. I. N.). Hinc recte definit Grotius legem, quod sit regula, cui actiones attemperare, quis moraliter scilicet obligatur.

§. II.

Societas est status, quo personae in personam competit ius perfectum atque adfirmatiuum ex communi fine concipiendum. Personae societatem constituentes dicuntur socii seu membra societatis.

C O R. I. Socio ergo in socium, quatenus in societate est, nullum competit ius, nisi ex communi fine conceptibile.

C O R. II. Omnia iura atque obligationes, quibus socii gaudent, ex communi societatis fine deducantur necesse est.

s c. Statu, homines societatem herilem insuisse, dominus & ser-
vus sunt membra societatis. Dominus haber ius perfectum in-
seruum, si officio suo non satisfacere velit, vt cum cogar ad officium
suum adimplendum, & adfirmarium, quod ad actiones
commissivas se extendit, vt operis suis vtilitatem domini promoue-
at, sed etiam ex communi fine concepiendum, quatenus seruus
obligatus est ad vtilitatem domini operis suis promouendam.

§. III.

Leges, quas membra societatis habent, quatenus
in societate sunt, dicuntur leges sociales.

C o r. Leges sociales ex fine societatis communis sunt deriuandae (per
magor. II. §. 2. & per §. 1.). Hinc lex vniuersalis societatis est: Di-
rige actiones tuas ad obtinendum societatis finem communem.

§. IIII.

Leges societatis, vel ex statu societatis essentiali, vel
ex accidentalis eius fluunt. Leges, quae ex statu essentia-
li, seu quod idem est, quae ex notione eius fluunt, dicun-
tur leges sociales naturales, leges autem, quae ex statu
accidentalis, seu ex circumstantiis fluunt, legum positiva-
rum nomen accipiunt.

c o r. I. Societates, quatenus tanquam societates considerantur, sunt
entia eiusdem speciei, et hinc eandem essentiam habent (per prin-
cip.

eip. metaphys.). Omnes societates ergo, quatenus tanquam societates considerantur, easdem leges naturales habent.

COR. II. Ens, si sub circumstantiis consideratur, tanquam individuum consideratur (per princip. log.). Leges ergo positivae competunt societati tanquam individuum spectatae.

COR. III. Ens, si existit tanquam individuum existit (per princip. metaphys.). Hinc in societate non solae leges naturale sufficiunt, sed etiam positivae in illa esse debent.

COR. IIII. Non dantur entia perfecte similia (per princip. metaphys.). Societas in individuo si consideres, non perfecte similem statutum individuali habent, seu sub iisdem circumstantiis existunt, sed quodam modo adhuc diuersae sunt. Hinc societas non iisdem legibus positivis instructae sunt, sed leges positivae unius societatis, a legibus positivis alterius societatis diserte debent.

COR. V. Determinationes entis essentialis sunt immutabiles, accidentales vero mutabiles (per princip. metaphys.). Hinc leges naturales societatis sunt immutabiles, leges positivae vero mutabiles.

COR. VI. Accidentia entis mutari possunt saluis essentialibus (per princip. metaphys.). Hinc leges positivae in societate mutari possunt, saluis manentibus legibus naturalibus societatis.

COR. VII. Status entis individualis, si perfectus esse deber, cum statu essentiali eiusdem consentiar necesse est (per princip. I. N.).

Leges

Leges ergo positivae, si perfectae sint, legibus naturalibus societatis haud repugnare, sed cum illis consentire debent.

s c h. Plura adhuc consecutaria hac de re facili negotio deducere possem, sed acta agerem, quoniam ad scopum meum non pertinent. Qui plura hac de re legere cupit, velim legat D A R I E S Virum Doctissimum in Institutionibus suis iurisprud. vniuers. Sect. III. cap. I. §. 613. 634. vbi originem legum positivarum, philosophice si consideretur, luculentissime ostendit.

§. V.

In societate sunt membra societatis, et habent iura sua (per §. 2.). Sed duplex hic occurrit casus. Vel quilibet sotorum iura sua socialia ipse exercet, vel socii in membrum quoddam societatis iura sua socialia transferunt, quod caput societatis dicitur. Si prius, est societas aequalis; sin posterius, inaequalis.

§. VI.

Capiti societatis competit imperium. Imperium est ius de actionibus entis cuiusdam intelligentis disponendi. Ille cui competit imperium dicitur imperans. In societate inaequali membra societatis iura sua socialia non ipsi exercent, sed transferunt in membrum quoddam societatis, quod caput societatis dicitur (per §. 5.). Iura socialia autem,

9

tem, quae exercet caput societatis, sunt iura adformatiua
(quae ad actiones commissivas se extendunt) atque ex com-
muni fine concipienda (per §. 2.) hinc habet ius actiones
sociorum ad communem finem societatis dirigendi. Ius
actiones alterius dirigendi, seu de actionibus alterius dispo-
nendi dicitur imperium (per definit.). Habet ergo caput
societatis imperium.

COR. Ergo est imperans societatis.

SCH. Definiunt ordinarie imperium Doctores I. N. et G., quod sit
ius de actionibus entis cuiusdam intelligentis pro arbitrio dispo-
nendi, sed terminus pro arbitrio proprio tam vagus, quam super-
fluus est. Vagus est: sumitur enim 1) pro libertate 2) pro quo-
libet appetitu sensitivo et denotat idem, quod Gutdünken oder eige-
ner Gesalle, et hoc significatu non ad imperium applicari potest.
Superfluus est, si pro libertate sumitur. Nam cui competit im-
perium illi competit ius (per definit.). Ius est facultas moralis,
morale id dicitur, quod per libertatem aetnari potest. Hinc ter-
minus libertatis est nota ingrediens definitionis iuris mediata, et
hac ratione ex termino iuris iam sequitur, hoc libere fieri debere.
Potest etiam sic demonstrari. Nullum nobis competit ius, nisi
ad ea, quae nos perficiunt, et nihil volumus pro libertate nostra,
nisi quae nos perfectiores reddunt (per princip. I. N.). Hinc, si
ius nobis competat de re quadam disponendi, libere fieri debet.

B

§. VII.

§. VII.

meo Societati ciuidam, vel aliae societas subordinatae sunt, vel non. Si prius, dicitur societas composita seu maior; si posterius, societas simplex seu minor audit. Societati compositae, vel iterum aliae compositae subordinantur, vel non. Si illud dicitur societas ex compositis composita; si hoc, societas ex simplicibus composita.

s c h. I. In iure naturae tres rāntum societas simplices pertractantur, societas nimirum connubialis, paterna atque herilis, et ex his tribus societatibus simplicibus oritur familia, quae est societas ex simplicibus societatibus composita.

s c h. II. Quid societas subordinare ex iure naturali satis manifestum est, quapropter notiones hac de re euoluere superfluum esset.

§. VIII.

Ciuitas est societas inaequalis plurium familiarum, cuius finis est securitas. Membra ciuitatis ciues adpellantur. Ciuitas est societas inaequalis (per definit.). Hinc quilibet membrorum iura sua socialia non ipse exercet, sed in membrum quoddam societatis transferunt (per §. 5.). Subiectum in quod iura in ciuitate transstulerunt dicitur imperans ciuitatis, reliqua vero subditi.

c o r. Ciuitas ergo est societas ex compositis composita (sch. I. § 7.).

s c h. I. Posset quis dubium proferre, hominis etiam in societate non viuentes posse constitutere ciuitatem, vide exemplum de prima re publica Romana, et hinc etiam familias ad ciuitatem constituerandam haud esse necessarias. Sed finge, ciuitatem non ex pluribus familias consistere, ciuitatis scopum securitatem nimurum haud posse obtineri quis ibit inficias. Mox ad interitum rueret ciuitas, nisi hominis procrearentur, qui de securitate ciuitatis possent esse solliciti.

s c h. II. Ad subditos etiam referuntur sensu generaliori ii, qui sunt in ciuitatis territorio et non ciues, quapropter etiam appellantur subdi non ciues, qui tantum obligationem negatiuam habent, ut non agant contra securitatem ciuitatis, sed ad hanc differentiam inter subditos ciues, et non ciues, ut respiciam, non opus habeo.

s c h. III. Definit Vir Excellentissimus D A R I E S in Institutionibus suis iurisprud. vniuers. Sect. V. cap. I. §. 655. ciuitatem, quod sit plurimum hominum sui iuris securitatis cauila, cum admisso communi imperio coniunctio, quae definitio ex mea deduci potest. Ciuitas est 1) societas in aequalis, hinc plures homines cogitari debent, qui iura sua non ipsis exercent, sed cum communi admisso imperio (per §. 5. 6. et 8.). 2) Plurimum familiarum. In familia pater-materque familias sunt caput familiae (per princip. I. N.) et omnia iura exercent in familia (per §. 5.), hinc si plures familiae se coniungere debent cum admisso communi imperio non dependet a membris familie, sed a capite cuiuslibet, et tunc il-

Iudicium tantum ad homines ciuitatem constituentis referri potest. Sequitur etiam quia caput familiae sunt, ut non sint sub imperio capitum familiae (per oppos.). Homines, qui non sunt sub imperio capitum familiae, dicuntur sui iuris, hinc homines societatem constituentes sui iuris esse debent. 3) Cuius finis est securitas. Haec differentia definitionis meae eadem est, cum differentia definitionis Viri Consultissimi DARIUS. Ciuitas ergo est plurium hominum sui iuris, securitatis causa, cum communi admisso imperio coniunctio.

§. IX.

Leges, quas membra ciuitatis obseruare tenentur, leges ciuiles audiunt. In ciuitate autem duplex nexus est, vel enim considerantur subditi in relatione ad imperantem, vel inter se (per §. 8.). Prior nexus vocatur publicus, posterior priuatus. Leges ergo inde oriundae, vel sunt leges ciuiles publicae, vel leges ciuiles priuatae.

§. X.

In ciuitate sunt leges publicae (per §. 9.). Hae, vel ex notione nexus publici fluunt, vel circumstantiis, sub quibus nexus publicus cogitatur, determinantur (per §. 8. et 4.). Priores nomine legum ciuilium publicarum universalium veniunt; posteriores autem legum ciuilium publicarum particularium.

COR.

COR. Quicquid de societate valer, etiam de ciuitate, quatenus est
societas valere debet (per princip. log.), hinc sequentia consecuta-
ria tanquam ex prono fluunt alueo (per §. 8. et 4.).

- I. Omnes ciuitates habent easdem leges publicas vniuersales.
- II. Leges publicae particulares ciuitati competit tanquam iudicium spectatae.
- III. In ciuitate non leges publicae vniuersales sufficiunt, sed etiam particulares requiruntur.
- III. Leges publicae particulares vnius ciuitatis a legibus publicis particularibus alterius ciuitatis differre debent.
- V. Leges publicae vniuersales sunt immutabiles, particulares vero mutabiles.
- VI. Leges publicae particulares mutari possunt saluis legibus publicis vniuersalibus.
- VII. Leges publicae particulares, si perfectæ esse debent, legibus publicis vniuersalibus non contradicant, sed cum illis consentiant necesse est.

SCH. Terminus posituum et terminus particulare pro synonimis
habentur, et sic etiam leges particulares et posituae eundem si-

◆ ◆ ◆

gnificatum habent; tamen terminus legum particularium magis vsu
receptus est in iure publico, quam terminus legum posituarum.

§. XI.

In ciuitate sunt leges priuatae (per §. 9.). Hae, vel
ex notione nexus priuati fluunt, vel ex circumstantiis seu
determinationibus individualibus (per §. 8. et 4.). Si prius,
dicuntur leges ciuiles priuate naturales seu vniuersales;
sin posterius, legum ciuilium priuatarum posituarum no-
men accipiunt.

COR. Exinde iterum fluunt consecutaria:

- I. Omnes ciuitates habent easdem leges priuatas vni-
uersales, seu naturales.
- II. Leges priuatae positivae ciuitati tanquam indiui-
duum spectatae competunt.
- III. Leges priuatae vniuersales non sufficiunt in ciuitate,
sed etiam positivæ in illa necessariae sunt.
- IV. Leges priuatae positivæ vnius ciuitatis a legibus
priuatis positivis alterius ciuitatis differre debent.
- V. Leges priuatae vniuersales sunt immutabiles, posi-
tivæ vero mutabiles.
- VI. Leges priuatae positivæ mutari possunt saluis legi-
bus priuatis vniuersalibus.

VII.

VII. Leges priuatae positiuae, si perfectae esse debent, legibus priuatis naturalibus non contradicere, sed cum illis consentire debent.

SCH. Civile in genere dicitur id, quod ciuitatem spectat, et sic termino et de legibus publicis et de legibus priuatis vniuntur, sed in specie id civile dicitur, quod nexum priuatum concernit, et sic civile opponitur publico, hinc leges ciuiles priuatae etiam dicuntur leges ciuiles in specie.

§. XII.

Ius obiectiu*e* sumtum est complexus legum homogenearum.

COR. I. Possunt leges pro diuerso respectu homogeneae atque etiam heterogeneae esse.

COR. II. Quid igitur ius sociale naturale atque positivum, quid ius ciuile publicum vniuersale atque particulare, et quid ius ciuile priuatum tam vniuersale quam particulare facile patet.

SCH. I. Circa definitionem iuris obiectiu*e* sumti haec sunt monenda: Non sufficit ad ius obiectiu*e* sumtum, quod adsit complexus legum, sed leges homogeneae esse debent, seu leges eiusdem speciei. Finge enim te habere complexum legem, sed leges v. g. partim essent Romanae, partim germanicae, partim Danicae, nullus tibi concedet, te habere ius, sed diuersa iura. Statue autem

te

te collegisse complexum legum v. g. Romanarum, tunc esse ius nullus dubitabit, quia leges sunt homogeneae, seu eiusdem speciei.

s c h / II. Terminus iuris valde vagus est, denotat enim 1) facultatem moralem, vti §. 2. 5. et 6. termino usus sum 2) complexum legum homogenearum 3) id, quod iustum est 4) iuris scientiam seu iurisprudentiam 5) titulum 6) sententiam iudicis 7) locum, vbi praetor sedebat et ius dicebat 8) necessitudinem seu coniunctionem sanguinis, sed in hoc significatu vocabulum ius rarissime sumitur, sed hic significatu secundo, scilicet, quod ius sit complexus legum homogenearum, termino semper utat.

§. XIII.

Ius posituum ciuale in specie est complexus legum posituarum ciuilium in specie (per §. 10. & 11.).

C O R. Omnia ergo, quae de legibus ciilibus posituis priuatis §. 10. dicta sunt, etiam ad ius positum ciuale in specie adplicari possunt, hinc conjectaria ex hoc deducuntur.

- I. Ius posituum ciuale in specie competit ciuitati, quantum individuum est.
- II. Ius posituum ciuale in specie in ciuitate necessarium est.
- III. Ius posituum ciuale in specie vnius ciuitatis a iure ciiali in specie alterius ciuitatis differre debet.

III.

III. Ius positum ciuile in specie est mutabile.

V. Ius posituum ciuile in specie non contradicere debet iuri vniuersali ciuali in specie.

SCH. I. Non opus est, vt in definitione iuris positui ciuilis in specie notio homogenei ponatur, quatenus enim leges tanquam leges positivae ciuiles in specie considerantur, eatenus etiam sunt homogeneae.

SCH. II. Quam maxime inter se discreparunt ICti, num ius posituum ciuale in specie possit demonstrari, sed ex hactenus dictis tota res breuissimis erit diuideanda. Demonstrare est aliquid ex principiis certis certo modo deducere. Ius posituum ciuale in specie ergo demonstrare est illud ex principiis certis certo modo deducere. Verum enim vero ius posituum ciuale in specie ex circumstantiis, seu ex determinationibus individualibus nexus priuati ciuitatis desumtum est (per §. 12. et 10.). Hinc determinationes individuales nexus priuati sunt principium certum. Quum autem ius posituum ciuale in specie non contradicere debet iuri vniuersali ciuali in specie (per n. v. cot. §. 13.), hoc etiam dat principium certum. Demonstrat ergo quis ius posituum ciuale in specie, si illud ex circumstantiis nexus priuati certo modo deducat, sed ita, vt iuri vniuersali ciuali in specie haud repugnet. Sed ius posituum ciuale in specie ex solis legibus naturalibus ciilibus in specie deducere idem est, ac illi mensuram heterogeneam applicare.



§. XIII.

Ius Romanum est complexus legum priuatarum positiviarum Romanarum.

c o r. Quicquid ergo de iure positivo ciuili in specie §. 15. dictum est, etiam de iure Romano valere debet, atque exinde haec confectoria fluunt.

I. Ius Romanum competit ciuitati Romanae, quatenus individuum est.

II. Ius Romanum in ciuitate Romana necessarium est.

III. Ius Romanum a iure positivo ciuili in specie alterius ciuitatis differre debet.

IV. Ius Romanum est mutabile.

V. Ius Romanum non contradicere debet iuri vniuersali ciuili in specie.

s c h. I. Definitionem juris Romani vsui loquendi ICtorum esse consentaneam, ex exemplo de lege Romaña Falcidia dicta luculenter pacebit. Haec lex est 1) lex ciuilis, quia est regula actionum moralium eorum, qui in ciuitate sunt 2) ciuilis in specie, quoniam ex illa cognosci potest, quomodo subditi erga se iniucem agere debeant 3) positiva, et quidam Romana, nam ex determinacionibus individualibus reipublicae Romanae desumpta est. Sume plures leges, sic habes complexum legum.

s c h.

SCH. II. An ius Romanum possit demonstrari ex Sch. II. §. 13. facile pater.

§. XV.

Ius Romanum non potest esse ius positivum ciuale in specie in altera ciuitate. Ius positivum ciuale in specie est complexus legum ciuilium priuatarum positiviarum (per §. 13.) et eatenus competit ciuitati, quatenus indiuiduum est (per num. 1. cor. §. 13.). Ius ergo Romanum, si in altera ciuitate ius positivum ciuale in specie esse deberet, ciuitati ut indiuiduum, consideratae competenter necesse esset (per §. cit.). Sed ius Romanum competit ciuitati Romanae tanquam indiuiduum spectatae (per num. 1. cor. §. 14.). Hinc non alteri ciuitati (per cor. III. §. 4.) et in altera ciuitate ius positivum ciuale in specie non constituit (per. num. 1. cor. §. 13.).

§. XVI.

In Romanum non est ius positivum ciuale in specie in Germania. Germaniam esse ciuitatem lippis atque tonsoribus notum est, hinc omnia, quae de ciuitate §. 15. demonstrata sunt, etiam de germania, quatenus est ciuitas, valere debent (per princip. log.). Patet ergo ius Romanum etiam in Germania non esse ius positivum ciuale in specie.

◆ ◆ ◆

S C H. Ex hac tenus demonstratis non sequitur, ius Romanum nullum usum habere in Germania: sed omnino adhuc applicari posse ad statum Germaniae. Sed quisquis facile intelligit, si applicari debeat, ita hoc fieri debere, ut ciuitas Romana atque germanica sub iis circumstantiis considerentur, in quibus aliquam similitudinem habent. Sunt autem quidam ICtri, qui ius Romanum adeo in deliciis habent, ut non solum nexui priuato cuiuslibet ciuitatis, sed etiam iuri publico atque iuri gentium, ast infasto sidere immiscere studeant. Per multis argumentis historicis sententiam meam corroborare possem, quam absolum sit, ius Romanum ad statum Germaniae torquere. Sed profecto amplissimum ingredere campum, relinquo autem hunc, quum mihi non proposuerim, historice hac de re agere. Habeant adhuc antiquitatis studioficampum, in quo insinuata eorum eruditio excurrere potest. Plura hac de re dicere, temporis angustiae prohibent, filum igitur dissertationis meae abrumpo.

F I N I S.



P R A E-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
R E S P O N D E N T I
 S. P. D.
P R A E S E S.

Vix in preelectionibus iuris canonici diligentiae TVAE quibusue praeeconiis maestrandae animum aduerteram, dum specimen eiusdem proprio prorsus marte exasciatum mibi obtuleris, ut idem illud publice ventilatum in arenam cathedrariam, me duce, deſſenderes. Adepi hanc spartam hoc lubentius, quo magis ali- quid in eo officii vertitur. Quum autem id quidem negotii iuris- ue ſibi datum eſſe perſuafum ſibi babere ſoleant praefides, vt quae iphis ad palatum non ſunt atque a suis iſorum principiis abhorrent, lituris inducant, addant contra, quaecunque notatu digniora deſſerentur; Certe aliquantis per me ſuspensum detinuit, an et ego hoc, quicquid eſt, iuris uterer. Neque enim poſſum, quin in omni- bus, in primis in evolutione legum ſocialium poſtiuarum at- que naturalium indeque pendentium conclusionum a TVA parte me non ſtare, ingenue fatear, ne Charifimis Auditoribus, qui

C 3

mea

mea animo imberunt principia, bilinguis, alia in alia cathedra statuens, ipseque troclo fortassis versatilior viderer. Verum quum iuris naturalis et civilis in meis subselliis tirocinia haud posueris, in doctrinis vero maxime iuris naturae maximam partem tantum non omnes eiusdem Doctores non conspirare obseruaue- rim, fere ut qui eos in concordiam reducere satagit, laterem lauet,

Atque idem iungat vulpes et mulgent hircos,
studiorum autem *TUTORVM* tantam in *TE* fiduciam animad-
uerterim, vt *TV A*, quibus subscripti atque telis opponentium
exposuisti, principia strenue propugnandi viribus polleas; tantum
sane abest, vt cum summa *TVI* iniuria centonem, spuriu-
m, quem neuter suum adgnosceret partum, confidere animus tulerit,
vt lucubrations *TVAS* doctissime et eleganter conscriptas, ni-
bil omnino, quod testor, iis addens, nihilque detrahens *TIBI*
gratabantur reddantur. Maie igitur praeclara bac *TV A* virtu-
te esto, felicique ingenii *TVI* ad optima queuis nati pariter
ac formati ausu! Faxit *SVMMV M NVMEN*, vt doctrinae
laus in dies augescat magis magisque, *TIBI* que maximis fortunis
liceat esse ornatissimo. Vale, mibique, quod facis, faue. Scri-
bebam in Regia Fridericiana d. 13. Cal. 1751.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
D O M I N O A V C T O R I
 S. P. D.
G V I L E L M V S S A M V E L A B H E R F O R D
 S I L E S I V S , O P P O N E N S .

Praeses TVVS Inclytus, quem ego vehementer Autorem sequor in ratione studiorum, maxime benigno consilio, ut prouinciam suscipere, iusasit, vnde Opponentis TVI nomen deriuandum est. Qui primo coepit huius consilii cogitatione deceptus sibi persuasum habebit, me iniusto titulo TIBI bellum, ut ita loquar, esse illaturum, si praeterea resciuerit TE LL. naturae strenue colore meque TIBI adhuc prouersus incognitum fuisse, sique laesionis rationem et occasionem auctorari, iudicaturus est, a vero maxime aberrabit. Alia mens, alius animus est: TVIS verbis locum fecit, monuit, poposet Praeses Inclytus, vt, cui me nunc accingo, defungar officio, VIR NOBILISSIME. Validitas animi virium et conscientia successus, quocum culturam earum nondum satis diu suscepit, negabant quidem, illius officii executionem eam fore scaturiginem, ex qua TVARVM veri nominis perfectionum cognitio, applausus, honores promanarent. Cur ergo aream, qui digniores me TECVM an arenam descendenter? Nonne laedo, si eximiae TVAE specimine Eruditio-

nis

33

nis publico mibi ingenii documento elegantissimi agnito,
 solidissimis mentis praerogatiis praeditos, specialiora distinctius
 perspiciendi, in generalioribus principiis versatissimos, in quo-
 rum animi facultatibus plus quam in meis, tantum pene
 ac in *TVIS* est, ut periculum *TECVM* faciant, non permo-
 ueo? Minime. Licit enim in praesentiarum adeo felici mibi esse,
 ut in typo hunc distinctarum idemrum statum experiar, quem
 ardenter exopto, aemulatione quicquid sum ad eum profecturus
 acceptum *TIBI* referam. En optima huius negotii consecaria!
 Encomiis iam grauis fluat oratio, sed et iis delineandis impar sum.
 Si quid humeri valeant audeo, tantum profitebor, *TE* exantla-
 se laborem laude dignissimum. Profitebor ingenium, acumen,
 dexteritatem, methodum admirabilem prodi dissertatione. Quin
 elaboratio ipsa *TVAE* laudis verae testis est solus dignus fide
 abundans. Nibil itaque reliquum reor, quam ut pia mente ma-
 nuque vota adiiciam. Gratulor ergo *TIBI* de spatio studiorum
 curriculi feliciter emenso, ope cuius ipse *TVA* optime testaris en-
 comia. Gratulor Patriae, quae *TVO* labore improbo in rebus
 gerendis mox fructura est. Gratulor Genti *TVAE* splendidissimae,
 que *TE*, familiae Deus desideratissimum, profunda re-
 rum cognitione imbutum ouans recipiet. Vnde diu! sint vota
TV A semper completa! Denique etiam atque etiam vale meique
 semper memorem esse benevolus perge. Dabam in Fridericiana
 d. 23 Ian. 1751.




halley, Diss.) 1751 $\pi(\pi-z)$



B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE R T A T I O I V R I D I C A
IN QVA AGITVR
DE QVAESTIONE
AN IV S ROMANVM
IVS POSITIVVM CIVILE
IN SPECIE
IN GERMANIA ESSE POSSIT

QVAM
P R A E S I D E
VIRO CONSULTISSIMO
IOANNE HARTWICH REVTERO
PROFESSORE IURIS PUBLICO ET FACULTATIS IURIDICAE ASSESSORE
DIE IAN. MDCLLI.
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS
VICTOR TOBIAS ERNST
MAGDEBURGENS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL. (3)

L. 2.